9

CUM
DEO
&
Propitia SUPERIORUM
Voluntate
DE
ASYLIS

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AD DIEM MART.
Publicè diſputabunt
M. GEORGIUS GOEZIUS,
VVICHMARIENSIS,
&
FRIEDERICUS GOTTER,
CAMBURGENSIS,
THURINGI,
H. LQ;. S.

26

JENÆ,
Ex Typograph. SENGENVVALDIANO,
ANNO
cIↄ Iↄ CLX.

ΕΝ.
ΟΝΟΜΑΤΙ.
ΤΟΥ.

ΙΗCΟΥ.

ΤΟΥ.
ΕCΤΑΥΡΩΜΕΝΟΥ.
ΤΟΥ.
ΤΩΝ. ΑCΥΛΩΝ.
ΑCΥΛΟΥ.

DE Aſylis, materiâ non injucundâ, paucula pro more Academico commentaturi; non tantùm ex Ciceronis, verùm etiam Divi Platonis præcepto à definitione rem ordimur. Hâc enim, tanquam ſacrâ anchorâ, jactâ, ſperamus nos omnes procellas, omnes turbines facilè & feliciter evaſuros. Quandoquidem verò illa duplex conſtitui adſolet, Nominis alia, alia Rei; ideò illam prius enucleabimus, utpote quæ in hujus cognitionem nos provehere potis eſt.

II. Nomen Aſyli in Græcis progerminâſſe hortulis, convenit, quantum ſcimus, inter omnes, ex quibus tamen propullulaverit radicibus, de eô mens Auctorum non eſt una. Servius & cum ipſo Polydorus Virgilius, aliorumque Virorum haud proletariè doctorum bona pars deducunt illud ab α privativo & verbo σύρω, traho, putantque ἄσυλον dici

quaſi ἀσυρεῖν, id ſcil. unde extrahi aut avelli aliquis non poſſit. Alii tamen malunt derivare ab α & σύλη præda, unde συλάω, prædor, rapio, per vim aufero: pro quibus pugnat non tantùm auctoritas Suidæ, ſed ipſa adeò ratio. Quid enim opus eſt ad extrema recurrere & ſtatuere elementorum ρ & λ permutationem, [dum hanc non-nemo Lambdaciſmum vocat, ſuam in Rhetoricis inſcitiam ſatis propalat] ubi alia quà formale vocis æquè commoda, quà materiale verò longè commodior haberi poteſt derivatio, qualem eſſe poſteriorem, quæ Suidæ & multis præclaris Grammaticis placet, ad oculum cuivis patet.

III. Solet verò Aſyli vox DUPLICITER ab Auctoribus uſurpari: 1. Adjectivè & in latiori ſignificatu, notatq; omne illud, quod à periculo prædæ liberum eſt. Et in hâc ſignificatione variis adjicitur Subſtantivis. Euripides adponit Subſt. γάμος dicens in Helena: ἄσυλος ἦν γάμων, ſecura eram à nuptiis, h. e. non erat mihi verendum, ne juvenes nuptiis meis inſtar prædæ inhiarent. Dionyſius Halicarnaſsæus adpellat ἱερὰν καὶ ἄσυλον ἀρχὴν magiſtratum, quem ullâ injuriâ afficere injuſtum ſit, Lib. X. Antiq. Rom. p. m. 665. quod alibi unicâ voce exprimit, ἀσυλάρχην hujusmodi magiſtratum ſalutans, Lib. ſc. VII. p. 451. 2. Subſtantivè, & ponitur plerumque pro æde ſacroſancta & inviolabili, ex quâ ſupplicem rapere & pro præda auferre licitum non eſt. Dico PLERUMQUE: nam aliquando etiam aram, ſtatuam, perſonam, imò chirothecam nomine Aſyli veniſſe, hiſtoricorum teſtimoniis comprobatum eſt, & nos inferiùs etiam levi manu oſtendemus. Hic autem non poſſumus, quin verbo ſaltim mentionem faciamus præclaræ Homonymiæ, quâ illibatus ille juſtitiæ flos, Papinianus, ob ſummam quâ polluit in reſolvendis nodis & ænigmatibus legalibus dexteritatem, vulgò JURIS ASYLUM dictus

dictus eſſe perhibetur, quod nomen quantum in laudibus ejusdem mereatur locum, Tiræſiâ oportet eſſe cæciorem, qui non videat.

IV. Latini quamvis Aſylum ampliſſimâ ſua civitate donâſſe videantur, non tamen deſtituuntur indigenis, quibus id inſigniunt, nominibus. Vocant enim illud Sanctum Templum, uti diſertè Livius: Sancta Templa, quæ Græci Aſyla adpellitant, ſub fin. Lib. V. Dec. IV. Aliter ſacram anchoram, ut Fabius teſtis eſt. Item aram. Sic enim Auctores paſſim. Terent. in Heautent. Act. V. Scen. II. nec tu aram tibi, nec precatorem pararis. Plaut. in Moſtell. ad aram confugiſti. Cicero pro Roſc. Comœd. ad domum ejus, tanquam ad aram confugit. Ovid. lib. IV. Triſtium;

Unica fortunis ara reperta meis.

Et poſſent plures, etiam ex his plura adduci, niſi ea, quæ jam tùm adducta ſunt, deſiderio ex aſſe ſatisfacerent. Addimus tamen: nonnulli Aſylum Latinè dicunt Eccleſiam, ſed videntur non ſine tropo loqui, ſiquidem vox Eccleſiæ vi Etymi ſui non locum, ſed congregationem, quæ fit in loco, denotat. Noſtra vernacula adpellat: Weichfried/Gottesfried/Freiheit/Freihaus/Freihof/da kein Häſcher hinein darf/und einen mit Gewalt heraus nehmen.

V. Satis de nomine: ad rem ergò. Definitiones Aſyli apud varios reperiuntur variæ. Julius Pollux Onomaſt. Lib. II. cap. X. & ex eô celebris Jeſuita Conzenius Lib. V. Politic. cap. VIII. §. 3. ſcribit: Aſyla ſunt ſacri termini, quibus ſecuritas ſervis datur. Hyppol. à Collibus de Increm. Urbium cap. XVIII. Aſyla ſunt loca, in quibus vel divinô Numine, vel principum majeſtate homines ab externâ vi defenduntur. Velstenius in Quæſtion. Polit. Dec. V. Quæſt. VI. §. 1. Aſyla fuerunt loca immunitatem quandam

habentia, à quibus rapere non licuit delinquentem. Georgius Ritterſhuſius, Magni illius Cunradi Filius, Tract. de Jur. Aſyl. cap. I. num. 7. Aſylum eſt templum, vel alius quivis locus inviolabilis & conſecrationis lege tutus, ad quem confugientes ſine ſummo piaculo avelli non poterant. Alii etiam aliis verbis, ſed omnes hunc in ſenſum definiunt. Verùm enim verò, ut ingenuè fateamur, nulla ex his omnibus definitionibus nobis ad palatum, omnes definito ſuo inadæquatæ. Et quod primam quidem, quam Conzenius ex Polluce exſcripſit, attinet, ea anguſtior eſt ſuo definito: adſtruit enim, Aſyla ſolis ſervis ſecuritatem à dominorum ſævitia præſtare. Cui profectò ſententiæ praxis quarumvis gentium pleno ore reclamat. Quis enim tam hoſpes Romæ aut Athenis eſt, ut neſciat obæratis, homicidis, & hujus furfuris aliis hominibus, præter ſervos, Aſyla patuiſſe? Quod reliquas concernit, eæ contrà nimium laxis decurrunt habenis. Omnes enim ac ſingulæ flagitia bipatentibus invitant portis, atque ſecuritatem à judice promittunt: quod ſanè eſt contra ſanctiſſima juris naturalis præcepta, & primam etiam primi Aſylorum inſtitutoris intentionem.

VI. Ergò repudio his definitionibus miſſo, putamus hunc in modum Aſylum deſcribi poſſe: ASYLUM EST LOCUS PECULIARI CONSTITUTIONE SACER, IN QUO SUPPLICIBUS AB OMNI INJUSTA VI SECURITAS PRÆSTATUR.

VII. Dicimus indefinitè LOCUM, ut innuamus, non ſolorum templorum hoc privilegium eſſe, quod adferunt nonnulli; ſed etiam alium quemvis locum poſſe immunitate gaudere, modò is fuerit PECULIARI CONSTITUTIONE SACRATUS. Quod ſanè jam exemplis quamplurimis corroboratum dare poſſemus, niſi ſatius foret, propoſitam deſcriptionem antè illuſtrâſſe.

VIII. Pot-

VIII. Poteſt igitur alicui loco ſecuritas venire, & ipſe SACER CONSTITUI vel immediatè, vel mediatè. Immediatè ab ipsô Numine, quâ ratione ſex Civitates in terrâ Canaan ἀσυλίας privilegio gaviſæ ſunt, ut Scriptura ſacra paſſim, omnium verò ſignificantiſſimè docet Numerorum XXXV. & Joſuæ XX. Simiæ populi ſancti, gentes, hoc paſſim æmulabantur, quando etiam ſuis nonnullis Aſylis auctoritatem & venerationem à Deaſtris afferebant, ut notum. Mediatè verò Aſylæ ſuam ſanctitatem obtinere queunt à terrena poteſtate, Principe videlicet ſeu Magiſtratu Politico. Huic enim, cum ſupremi Numinis miniſter & quaſi Vicarius in his terris ſit, adeòque ipſi incumbat, juſtum & æquum diſpenſare, non debent intercludi viæ, quibus ad ſcopum iſtum decurritur. Siquidem meritò, cui demandatus eſt finis, illi etiam concedenda ſunt ea, ſine quibus ad finem perveniri non poteſt, ut benè Grotius in de Jure Majeſt. circa ſacra Tract. Aſt verò ἀσυλίας conceſſionem eſſe eximium æquitatis ſuſtentaculum, per ſe certum eſt, & nos ſperamus ex dicendis futurum liquidius. Hinc ergò negari non poteſt, eam in manibus poteſtatis ſæcularis eſſe.

IX. Qualem verò Aſylorum conſtitutionem eſſe oporteat, & qualiter comparatam illorum ſanctionem, ſupervacaneum foret operosè deſcribere quandoquidem cuivis cujusvis rei auctori & inventori meritò liberum relinquitur, quibus ceremoniis aut ritibus velit actum inſtitutionis exornare & ſolenniorem reddere. Neque etiam ulli Scriptorum hæc res notatu digna viſa fuit. Id potius intentiori luſtrandum eſt oculo, quô fine Aſyla conſtituantur, aut conſtituta tolerentur? Nos diximus, Aſyla ideò dari, ut ſupplicibus ab injuſta vi ſecuritas præſtetur. Diſpiciendum

endum ergò omnium primò erit, quinam ſupplices ἀσυλίας jure uti frui poſſint.

X. Sicut jus ſacroſanctum in genere planè omnem προσωποληψίας reſpuit, & amat nemini omninò intercludi; ita ἀσυλία in ſpecie cuivis ſine perſonarum diſcrimine exhiberi gaudet, cujusvis conditiones homines, ſervos, liberos; maſculos, fœmellas; cives, peregrinos, cujuscunque etiam facti reos admittens. Multum dicimus, dum hoc dicimus, ſed tamen non nimium. Iſtos enim ſupplices non niſi ſub duabus his conditionibus recipimus, 1. videlicet ſi non ἐκ προαιρέσεως deliquerint. Quandoquidem enim voluntariè peccans pro lædente habetur, & verò non lædentibus, ſed injuſta patientibus, aut injuſtam vim metuentibus Aſyla ſunt conſtituta, ultrò patet voluntarii criminis reum in Aſyla recipiendum non eſſe. 2. Si de ſpecie facti nondum conſtet planè. Fieri ſiquidem poteſt, & quidem fit ſæpiſſimè, ut factum in ancipiti ſit, & non conſtet, utrum illud ex voluntate plena, an citrà eandem commiſſum ſit: hîc ad Aſylum malefactori datur aditus, ibique tutò verſari, donec prætenſam innocentiam ſuam jure evincere poſſit, ſeu, ut loquuntur, biß zu Ausführung gerühmter Unſchuld.

XI. Moveri hîc ſolet quæſtio: An etiam Judæis liceat confugere ad Aſyla Chriſtianorum? Et ſunt, qui ſimpliciter negant, cauſati, tam infenſos Chriſtiani Nominis hoſtes indignos eſſe, qui templorum ſanctitate fruantur. Alii tamen affirmant, cum quibus quidem & nos facimus, ſed illorum fundamenta noſtra haud facimus. Nituntur enim falſa iſtâ hypotheſi, quod Aſyla etiam ſponte ſuâ deliquentes tutos præſtent, & ab extremo ſupplicio eximios. Dicimus verò neque Judæos ἀδικίας ἀδικεῖσθαι debere, quoniam & ipſi ſub objecto juſtitiæ comprehenduntur: ita

non

non licet ipſos inſontes occidere, bonis ſpoliare &c. Si hoc, ergò etiam ipſis media injuriam propulſandi erunt concedenda, ergò Aſyla aperienda. Præterea videntur Judæi hâc ipsâ ratione non parum ad fidei Chriſtianæ vexillum allici: jam verò Chriſtianorum eſt, nullam rationem intermittere, nulli operæ parcere, ut animas infidelium lucrentur. Ergò Eorumdam etiam erit, Judæis Aſyla non occludere. Res in aprico eſt.

XII. Liberant porrò Aſyla noſtra Supplices ſuos ab externâ vi, verùm non quâvis, ſed tantùm injuſtâ. Eſt injuſta vis omnis illa, quam quis patitur 1. à perſonis macula affectis, tempore, loco, & modô inconvenienti, ut ſi quis à lictore vel carnifice per publicum, illâ diei ætate, quâ maximâ hominum frequentia vias implere undique ſolet, ad terga revinctis manibus raperetur. 2. ob cauſas inſufficientes, ſcilicet ob præſumtionem ſceleris perpetrati, aut ex deliberatâ mente, voluntateque plena perpetrati. 3. ad rem indignam, puta vel ad carcerem; nam & hujus incolam fieri notam homini libero, & eò magis nobili, inurit: vel ad ultimum omninò ſupplicium, re nondum dijudicatâ. Sit caſus. Milo Româ Tuſculum proficiſcitur: hunc Clodius in viâ publicâ adoritur, & ſtrictô enſe impugnat, ſed à manu ejus cadit. Cædes propalatur, Magiſtratus in auctorem facinoris inquirit, ipſum prehendi jubet. Milo interfector in pedes ſe conjicit, attingit Aſylum. Ibi ipſi ſecuritas præſtatur ab injuſta vi, h. e. à manu lictorum, ab infamia carceris, donec cædis factæ juſtitiam demonſtrare, ſuamque innocentiam judicibus probare poſſit.

XIII. Contrà autem vis injuſta nequaquam foret, ſi quis voluntarii ſceleris reus ad Aſylum confugiens in-

de vel per lictores ad carcerem, vel per carnificem ad crucem raperetur, aut etiam renitens in ipſo Aſylo plecteretur. Ita enim jus divinum expreſſis ſuadet verbis: avelles ipſum (qui per inſidias occidit fratrem ſuum) ab altari meo, ut occidatur, Exod. XXI. v. 14. oculus tuus non parcet ipſi, Deut. XIX. v. 13. Nec deſunt nobis exempla, ubi hoc jus obſervatum fuit omninò. Adonias, regius princeps, ab Altari abſtrahitur, III. Reg. I. v. 53. Eutropius, cujus potentia temporibus Arcadii ſumma fuit, è templo extractus eſt, ut Phil. Melanch. III. Chron. p. 104. obſervat: & Theramenes, jubente Critiâ, ab arâ abſtractus, venenoq; ſublatus fuit, notante eôd. ibid. p. 99. Et ex ſacris edocti ſumus, Joabum, imperatorem Iſraëliticum, in ipſa arâ, cum exire recuſaret, pœnas dediſſe, III. Reg. II. v. 31. ſeqq.

XIV. Uſus Aſylorum non heri aut nudius quartus cœpit, vel Patrum noſtrorum memoriâ, ſed tàm antiquus eſt, ut de primis inventoribus jam olim fuerit dubitatum. Vulgò Atticæ genti hoc inventum tribuunt; ſed neque, qui hoc ſtatuunt, ejusdem omninò ſunt ſententiæ. Servius Comment. in Virgilii VIII. Æneid. putat, Heraclidas primos Aſylorum auctores fuiſſe, quando ait: Poſtquàm Hercules migravit è terris, nepotes ipſius timentes inſidias eorum, quos avus afflixerat, Athenis ſibi primi Aſylum, hoc eſt, miſericordiæ templum collocârunt, unde nullus abduci poſſet. Citat verò in teſtimonium verſûs ex XII. Theb. Statii ſeqq.

Fama eſt defeſſos acie poſt buſta Paterni
Numinis Herculeos ſedem fundâſſe Nepotes.
Sic ſacrâſſe loco commune animantibus ægris
Confugium. - - -

Alexan-

Alexander tamen ab Alexandro Lib. III. Genial. Dier. CADMUM primum Aſylorum fuiſſe inventorem contendit. Sic enim ipſe cap. XX. p. m. 159. primùm Cadmus, dum Thebas conderet, Aſylum aperuiſſe fertur, ad quod confugientes ſine diſcrimine, ſervi an liberi eſſent, ab omni pœnâ tuti erant. Verùm enim verò uterque, ſi iſta, quod videtur, hypotheſi præoccupârunt mentem, apud Græcos primùm extitiſſe Aſyla, oppidò fallit. Moſen enim illô Cadmô juxta ac Hercule antiquiorem nôrunt, qui temporum rationes nôrunt, omnes. Hic verò de Aſylis leges tulit. Et tamen ipſum etiam inſtituiſſe Aſylorum uſum nobis adeò perſuadere nondum poſſumus. Sanè jam tùm in deſerto Aſylum erat exercitui Iſraëlitico ara terrea, ut aliàs, ſi Deo viſum, videbimus. Probabilius g. eſt, Moſen uſum Aſylorum aliàs frequentatum certis definiviſſe legibus, ut ſacrificia & alia definivit. Si tamen dicti auctores de origine Aſylorum apud Græcos diſceptant, Alexandro calculum noſtrum adjicere nulli dubitamus, quandoquidem Cadmus, cui is Thebarum & in illis Aſyli conſtitutionem aſſignat, Hercule omninò antiquior fuit.

XV. Attigimus nunc venerandæ Antiquitatis oras, inquiſivimus aliquô modô in originem Aſylorum: conſequitur hinc diverſitas eorundem. Aſt verò quàm amplus ſe hìc aperit campus? quàm lata juxtà ac læta ſurgit ſylva? Si eò excurrere, ſi omnia, quæ noſtram ſtructuram amplificare poſſent ligna, cædere & hùc adſportare vellemus, næ diſſertatio hæc in volumen excreſceret. Sed tàm prolixis eſſe nobis jam nec libet, nec omninò licet. Ergò id ſolùm operam dabimus, ut potiora eorum, quæ hùc facere videbuntur, delibemus. Lector his ſtudiis faventior ex Sarpo, Rittershuſio & aliis, qui de

hoc argumento nonnulla ſunt commentati, ſitim ſuam reſtinguet planiùs.

XVI. Conſtituunt Auctores duas imprimis Aſylorum Claſſes: unam PERSONARUM; alteram RERUM, ſeu LOCORUM. In Perſonis meritò principem locum tribuerimus PRINCIPIBUS. Hos non ſolùm ipſos in ſuis perſonis ſanctos & inviolabiles reddit ſanctiſſimum naturæ jus; ſed etiam ratio ſuadet ipſos immunitatis ſuæ clypeo alios protegere poſſe. Accedit conſenſus gentium, quæ iſtam ſuis ſemper Regibus ac Principibus habuére reverentiam, ut non ſolùm ipſis, verùm etiam ipſorum exuviis ac ſepulcris, quin ſtatuis, ut paulò poſt videbimus, ἀσυλίαν tribuerint. Credo exinde conſtitutum antiquitùs eſſe, ut nullum in illa urbe, quam ipſe princeps incolit, concedatur Aſylum; quia videlicet ipſum ſummum Aſylum, à quo omnia alia Aſyla, quicquid ſunt, ſuum eſſe habent, ibi datur. Refert hoc Imperator Turcarum, teſte Hermanno Kirchnero, in titulis ſuis, & inſcribit ſe PORTUM & ASYLUM OMNIUM OPPRESSORUM. Utebatur iſthoc jure ſatis tempeſtivè Æſopus. Cum enim hunc Crœſus, Lydiorum Tyrannus, occidere vellet, ſe ad pedes ejus abjiciens exclamabat: ὦ βασιλεῦ, ἅπτομαι τῶν σῶν ποδῶν· μή με εἰκῆ φονεύσῃς, h. e. O Rex, apprehendo pedes tuos, non licet me inſontem occidere. Hûc referenda etiam, ſi uſitata hodiénum eſſet, conſuetudo illa erat, quâ reis ſponſæ Principis comitatui miſtis, delicti venia concedebatur: **Wenn Sie ſich bei Fürſtlichen Heimführungen an den Fürſtlichen Braut-Wagen halten.** Quod aliàs communiter omnes

tra-

tradunt, Legatos Populi Romani, Tribunos Plebis, Ædiles et Caduceatores fuiſſe ἀσύλους, id nos rectè dici putamus, ſi intelligatur ita, quod inviolabiles fuerint: ſi verò inde dicuntur ἄσυλοι fuiſſe, quod aliis immunitatem tribuere valuerint, candidè fatemur, Nobis Non Liquere. Poſt Principes & Magiſtratus propriè dictâ ἀσυλίᾳ etiam gaviſæ ſunt aliæ perſonæ quædam ſacroſanctæ, & primò quidem Virgines Vestales. De Virginibus iſtis Auctor eſt Plutarchus, quod ſi contigerit, ut ipſæ caſu forte occurrerint ei, qui ad ſupplicium à Magiſtratu eductus fuerit, ipſum liberare potuerint, in Numa p. 26: Deinde de Sacerdote Jovis idem teſtatur in Problem. quod ſteterit ante fores templi, & ſi quis reus ſupplex ad pedes ipſius prociderit, immunis ſit factus, & ſi vinctus fuerit, illicò ſolutus. Neſcio annon exinde ſibi ἀσυλίας jus vendicent Cardinales noſtri, de quibus Bodin. Lib. X. de Republ. cap. 10. & Sacrificuli circumgeſtantes benedictum panem in Feſto Corporis Domini, auf den Fronleichnams=Tag. Sed quàm rectè, viderint alii. Non tantùm autem ſingulis perſonis, ſed Universis Populis immunitatem fuiſſe, credendum eſt Hiſtoricis. Ita Zwingerus in Theatro ſuo ex Plinio fidem facit, Arimphæos populum Scythiæ vicinum fuiſſe, haud diſſimilem Hyperboreis gentibus: cui ſedes nemora, alimenta baccæ, capillus juxtà fœminis ac viris in probro habitus, ritûs clementes. Itaque ſacros habitos, inviolatosque fuiſſe etiam feris accolarum populis: nec ipſos modò, verùm etiam quicunque ad ipſos confugerint. Idem Zwingerus ex Bonfinio de Thyssagetis populo

Litvaniæ finitimo ſimilia refert Vol. XXIII. lib. 2. pag. 3997.

XVII. Altera Aſylorum Claſſis eſt locorum. In hâc primo limine occurrunt nobis TEMPLA. Sanè gentes paſſim, & barbariſſimæ nationes hunc honorem fanis ſuis exhibuerunt. Quis credat? etiam eò proceſſit ſuperſtitio, ut bruta animantia in templis inviolabilia putaret. Refert Herodotus: cum Pactyas profugus Cumæ templum ſupplex ingreſſus fuiſſet, & Ariſtidicus Cumæorum Nobilis templum circumiens paſſeres aliasque aviculas, quæ forte in templo nidulabantur, è nidis exemiſſet, vox ex adito audita eſt ad Ariſtidicum: HOMINUM SCELESTISSIME, QUÆ TE LIBIDO INCESSIT, UT AUDERES MEOS SUPPLICES DIRIPERE? Ita ſcilicet luſit [ſi modò fabula eſt vera] in tenebris ethniciſmi princeps tenebrarum! Famâ autem præ reliquis templis celebratur illud Epheſinum Dianæ, cujus libertatem ad certos terminos productam prodidit Strabo Libro 14. Nec non Peloponneſiacum Cereri & Baccho ſacrum, dictum Hermione, quod & proverbio locum fecit, ut dicamus hodiè: ero tibi ἀντ᾽ ἑρμιόνος, i. e. vice Aſyli, de quo Eraſmus in pulcherrimo Adagiorum Opere videri poteſt. Porrò templum Minervæ in arce Spartana, quod nunquam, niſi ubi eò Pauſanias turpis proditionis reus abuteretur, violatum eſt. Vide ſis Cornel. Nep. ab Ampliſſimo, Excellentiſſimoque VIRO, DN. JOHANNE ANDREA BOSIO, Philologo ſingularem ob eruditionem undiquaque celebrato, Hiſtorices in illuſtri hâc Salana P. Publ. de ſtudiis benemerentiſſimo, Dn. Patrono atque Præceptore noſtro æviternùm colendo, utiliſſimis notis illuſtratum & luci publicæ expoſitum.

Pluri-

Plurima alia templa, ἀσυλίας jure clara, ex Zwingero adducere ſuperſedemus. Adeat, qui volet, ipſum Theatrum, offeret ſe ipſi ſpectaculum non injucundum. Hoc tantùm addimus, ſæpè dictum jus non promiſcuè omnibus Ethnicorum templis, ſed iis tantùm fuiſſe, quæ ſolenni ritu inaugurata & Aſyla conſtituta fuerant. Verùm poſteà, ubi Chriſtiani Principes in honorem veri DEI ſuis templis immunitatem conceſsére, omnibus indifferenter templis hoc privilegium contulerunt, adeò, ut ſi quid templum eſſet, eô ipsô etiam Aſylum haberetur.

XVIII. Secundò in Locis Aſylis attendendæ veniunt ARÆ. Plura ſiquidem Antiquitas ſuggerit monumenta, ex quibus haud falsò colligitur, Aras olim ſacroſanctas, ut & eò fugientes, fuiſſe. Claræ ſunt Athenæ ex Ara Miſericordiæ. Teſtatur enim Plutarchus in Pélop. eam Athenienſibus innatam fuiſſe miſericordiam, ut ſupplices ad aram iſtam confugientes, non modò officiosè exceperint, ſed & bella pro iisdem gerere non ſint veriti. Aræ ἀσυλίαν confirmat Eurip. in Andromach. inquiens:

> ἔχει γὰρ καταφυγὴν, θὴρ μὲν πέτραν,
> Δοῦλοι δὲ ΒΩΜΟΥC Θεῶν. i. e.
> *Habent confugium feræ quidem petram,*
> *Servi autem ARAS DEORUM.*

Planè in ſententiam noſtram Pauſanias in Achaicis Lib. VII. inquit:

> *ARA tibi Eumenidum fumans & curia Martis*
> *Sint cordi: hûc bello domiti nam forte Lacones*
> *Suppliciter triſtes venient. Tu projice tela,*
> *Supplicibus parcens, Divûm quos cura tuetur.*

Sic

Sic Cœl. Rhod. Lib. VI. cap. 17. Antiq. Lect. adducit Aram Comœdiæ, quæ teſte Hieronymo, jus Aſylias idem habuit cum Cæſarum ſtatuis. Neq; Sacris literis omninò ignotus eſt mos ille confugiendi ad aras. Verùm hoc nemo in dubium vocaverit. Omnes auctores Aras hoc nomine commendant, quod ſupplices eas tenentes, vel iis inſidentes violare ſacrilegium fuerit.

XIX. Tertiò etiam BAPTISTERIA Chriſtianis olim pro Aſylis fuiſſe colligere eſt exinde, quod Euagrius Lib. II. cap. 8. de Proterio, Epiſcopo Alexandrinorum, ſcribit, ipſum, quò necem effugeret, ad ſacroſanctiſſimum Baptiſterium confugiſſe: quo in loco & barbaris, & cunctis ferocibus hominibus reverentia quædam incutiatur. Sed quoniam Baptiſteriorum uſus rarus fuit, & hodiè ferè nullus, pauca admodùm de iis annotata viſuntur.

XX. Quartò URBES ἀσύλους luſtrabimus. Refert prædictus Suidas in Libya urbem quandam fuiſſe, ad quam ſi confugerint ſervi, continuò liberi facti ſint, dictam exinde DULOPOLIN. Et aliam fuiſſe, nomine ΙΕΡΟΔΟΥΛΟΝ, quod ſervis dicata fuerit, vixiſſeque in eâdem unum duntaxat, ingenuum. Iterum aliam, ΔΟΥΛΟΠΟΛΙΝ ΧΙΛΙΑΝΔΡΟΝ, in Creta, ut Soſicrates in primâ narratione rerum Creticarum teſtatur. Hûc pertinuit Macedonica PONEROPOLIS, quæ omnes perditos & ſceleratos recepit, & MARTISBURGENSE SUBURBIUM, in quod Henricus Auceps quoslibet facinoroſos admiſit, ſpe vitæ melioris, eosque armis & agris donatos juſſit adverſus hoſtem excubare, referente König. in Theat. Pol. part. 1. cap. 3. Tales urbes adhuc hodiè quamplures dari, conſtat. Eſt FRIDBERGA in Ducatu Bavariæ, de quâ Münſterus in Coſmograph. Eſt vicinum Norico oppidum, Pierbaum

adpel-

adpellatum, poteſtati Illuſtrium Baronum à WOLFSTEIN ſubjacens, de quo itidem ſcriptores fide digni, ad experientiam provocantes teſtantur, quòd ſupplices tutos præſtet. BRISACUM Auſtriæ oppidum ab Heinrico Imperatore Barbaroſſæ filio in quoddam velut miſericordiæ templum exædificatum legitur apud Ott. Friſing. Lib. VII. cap. ult. REUTLINGAM item ac ESLINGAM, Civitates Imperiales jura iſthæc poſſidere, nonnulli tradunt. Cambdenus in Britanniâ p. 578. perhibet, oppidum BEVERLY Ἀσυλίας privilegiô à Johanne de Beverly, Archi-Epiſcopo Eboracenſi eſſe donatum, ibique conſtitutam fuiſſe cathedram ſaxeam, cum inſcriptione hâc:

> HÆC. SEDES. LAPIDEA
> FREEDSTOOL. DICITUR. I. PACIS. CATHEDRA. AD. QUAM. REUS
> FUGIENDO. PERVENIENS
> OMNIMODAM. HABET. SECURITATEM.

Quod refert Clariſſimus Vir, B. Rupertus in Floro illuſtrato p. 52. ſeq. In Anglia etiam, ut & Galliis plures eſſe talismodi civitates compertum habemus.

XXI. Quintò CURIAS etiam tutas ab omni vi præſtare ſupplices, exinde colligere licet, quod D. Matthias, Imperator, Statibus Bohemiæ hôc nomine dejectionem è feneſtra Sui Vicarii & Secretarii exprobrat, quia locus is jure ſecuritatis gaudeat. Verba ex Literis datis Viennæ 18. Julii 618. hæc adducimus: Wir können das jenige/ſo alſo wider Unſern Stadthalter und Secretarium / Unſere Liebe Getreue/in unſerm Prager-Schloß und Königli-

 cher

cher Reſidentz/in der Böhmiſchen Cancellei/wo die gröſ-ſeſte Sicherheit und Reſpect ſein ſoll/fürgenommen wor-den/keines Weges gut heiſſen. Act. Bohem. part. 1. Lit. K. Ex literis ad Electores & Principes Imperii adduci-mus ſeqq. Es iſt nunmehr wohl bewuſt/ was Maſſen etzliche aus unſern Unterthanen des Königreichs Bö-heimb ſich ſo weit vermeſſen/daß Sie in Unſer Prager-Schloß und Königliche Reſidentz / in der Böhmiſchen Cancellei / und zwar in die Rahtſtuben/ als an ein vor-nehmſtes Ort/dahin alle Recurß/ſo wohl in Juſtitien/ als des gantzen Landes angelegnen höchſten Sachen iſt/ auch billich daſelbſt der gröſte Reſpect gehalten / und ie-derman vor Gewalt geſichert werden ſoll/mit gewapne-ter Hand kommen/ allda zween aus Unſern Stadthal-tern und einen Secretarium/ Unſere Liebe Getreue/oh-ne alle vorhergehende Anklag und Verhör/gewaltthäti-ger Weiſe angefallen / auch zum Fenſter hinaus in die Tieffe des Schloß-Grabens geſtürtzet/ꝛc. Ex his omni-nò diſpaleſcit, curias immunitate gaudere non exiguâ.

XXIII. Septimò locò exponimus Domos. Sanè & has inſtar Aſylorum eſſe vel exinde liquet, quòd ſæpiſ-ſimè audimus, illos graviſſimas incurrere pœnas, die den Hausfrieden brechen. Nota eſt vox Doctorum: Domus tutiſſimum cuique refugium & receptaculum eſt. Inde domus pulcra ſortitur encomia: Xenophon VII. Cyro-pæd. οὐδὲ ὁσιώτερον χωρίον ἐν ἀνθρώποις, οὐδ' ἥδιον, οὐδὲ οἰκειότερόν ἐστιν οὐδὲν οἴκου ἰδίου, h. e. neque ſanctior locus hominibus eſt, neque gratior, neque magis proprius ſuâ cuique domo. Idem vult proverbium illud notiſſimum: οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος, domus amica, domus opti-ma, de quo magnum evolve Eraſmum. Præprimis ve-

rò hoc:

rò hôc jure gaudere videmus DOMUS ILLUSTRES, aulasq; dico Principum. Et tali etiam immunitate pollet Norimbergæ der Hailbrunners-Hof / quæ eſt Marchionum Brandeburgenſium, & Argentorati ædes ſummi capituli, vulgò der Bruder-Hof / item Rotenburgi ad Tuberam ædes commendatoris Rhodienſis, dictæ der Johanniter-Hof / quæ omnia Matth. Bernegg. Diſs. de Judic. Cura Pol. §. 17. Volunt etiam COLLEGIA atque SCHOLAS eam immunitatem obtinere, ut ex illis delinquentem extrahere non liceat. Et in mentem hîc nobis venit ejus, quod A. Gellius de DOMO FLAMINIS DIALIS habet, ſi ſcilicet eam ingreſſus fuerit vinctus, illum ſolvi neceſſum fuiſſe; & vincula per impluvium in tegulas ſubduci, atq; foràs inde in viam dimitti oportuiſſe, Lib. X. Noct. Attic. cap. XV. pag. mih. 318.

XXIV. Domo egreſsi in forum procedimus. En & ibi ſacrum Aſylum! CRUCEM videlicet, de cujus Inſtitutione Weichbild Art. 9. Der König weiſet die Kaufleute mit der Römer Raht an die Schiffreichen Waſſer / daß ſie allda feſte Städte bauen / mit Ringmauren und Weichhäuſern / und da gab ihnen der König mehr andere und ſolche Freiheiten / als Er täglich an ſeinem Hofe ſelbſt hatte / und beſtätiget ihnen die / und bot ihnen ſeine Hand dar. Da begreiff ihn ein Kaufman / und zog Jhm den rechten Handſchuh ab / darüber ſo ward ihn von Jhm S. Peters Friede von Gottes wegen gewürcket und gegeben mit einem Kreutz. Das iſt das Uhrkund / wo man neue Städte bauete / oder Märckte macht / daß man da ein Kreutz auf den Marckt ſetzet / durch das man ſehe / daß Weichfriede da ſei. Et crucem eſſe

ſignum ſervatæ per religionem vitæ Pol. Virg. Lib. I. Hiſtor. Anglican. in Henrico docet.

XXV. Decimò PRINCIPUM STATUÆ etiam Aſyli jura obtinuiſſe tàm notum eſt, quam quod notiſſimum. Et aſſerit Heur. Salm. ad Panciroll. de Reb. deperditis lib. 1. p. m. 225. id mirum eſſe nemini debere, cum etiam adorationis cultum ſtatuis & imaginibus principum exhibitum fuiſſe ex Plinio ſatis conſtet: Porrò addit, Caligulam, hominum, quotquot unquam fuerunt, omnium flagitioſiſſimum, templi Hieroſolymitani Aſylum in ſe transſcribere auſum, adſumtô titulô, NOVI JOVIS, ILLUSTRIS CAJI. Ex hoc colligi vult dictus Salmuthius, non eſſe alienum ab audacia Princicipum iſtorum, ſtatuis & imaginibus ſuis Aſyliam tribuere. De ſtatuarum origine, materia, & mille figuris plurima hîc ex omnis generis Scriptoribus adducere liceret. Sed id nos in præſentiarum nihil juvat. Addimus tantùm pulcerrimum Caſſidori lib. III. Variar. XV. p. 399. locum: Videbit, inquit ille, meliora, quàm legit: pulcriora, quàm cogitare poterit: ſtatuas illas Auctorum ſuorum ſcilicet adhuc ſigna retinentes: ut quamdiu perſonarum laudabilium opinio ſupereſſet, tamdiu & ſimilitudinem vivæ ſubſtantiæ imago cuſtodiret. Conſpiciet expreſſas in ære venas, niſu quosdam muſculos tumentes, nervos quaſi gradu tenſos, & ſic hominem fuſum in diverſas ſimilitudines, ut credas potius eſſe generatum. Has primùm Thuſci in Italiâ inveniſſe referuntur, quas amplexa poſteritas penè parem populum urbi dedit, quàm natura creavit, &c. Alexander ab Alexandro prodit, tantum ſtatuarum Romæ fuiſſe, ut ALTER POPULUS LAPIDEUS viſus fuerit, lib. IV. Gen. Dier. cap. XII. lin. ult.

Cæte-

Cæterùm ſervorum ferè refugium oportet fuiſſe ſtatuas, cum plerumque Auctores, ſi de Statuarum immunitate ſermonem inſtituunt, eâ ſervos uſos eſſe perhibeant. Quin omninò ſervi minoris æſtimabantur, ſi ſemel aut ſæpius ad ſtatuas confugiſſent, & venditorem ſi ſervum laudaret, quod nunquam ad ſtatuam confugiſſet, oportebat illud præſtare, ſecus contractus reſcindebatur.

XXVI. Undecimò ad LUCOS refugium datum eſſe dicimus. Talem enim lucum ἄσυλον à Romulo, poſt Romam conditam, ſacratum fuiſſe, Auctores paſſim celebrant. Livius lib. I. p. m. 5. Deinde ne vana urbis magnitudo eſſet, adjiciendæ multitudinis cauſa, vetere conſilio condentium urbes, qui obſcuram atque humilem conciendo ad ſe multitudinem, natam è terrâ ſibi prolem mentiebantur, locum, qui nunc ſeptus denſis ſentibus inter duos lucos eſt, Aſylum aperit. Eò ex finitimis populis turba omnis ſine diſcrimine, ſervus an liber eſſet, avida novarum rerum perfugit. Et Florus lib. I. p. 5. Erat in proximò lucus, hunc Aſylum fecit, & ſtatim mira vis hominum, Latini, Thuſcique paſtores, quidam & transmarini Phryges, qui ſub Æneâ, Arcades, qui ſub Euandro Duce influxerant. Ita ex variis quaſi elementis congregavit corpus unum, populumq; Romanum. Hinc Pedianus: Totus populus Romanus ab initio tres fuerunt tribus: Tatienſes una, à Tatio Rege; Ramnes altera, à Romulo; Luceres tertia, à Lucumone ſive Luco, quem Aſylum vocaverat Romulus. Videri poteſt Leand. Albert. in deſcript. Ital. & Auctores plurimi alii. Ovidius mentionem facit luci HELERNÆ lib. VI. Faſtorum his verbis:

Adjacet antiquus Tiberino lucus Helernæ,
Pontifices illûc nunc quoque ſacra ferunt.

Alexander ab Alexandri lib. IV. Gen. Dier. cap. XII. lucum adducit nominatum AULAM, quem ipſa bruta inter ſe ſacrum habuerint. Nam cum docuiſſet, Pani & Jovi Lycæo hoſtiam humanam ſtato die fuiſſe immolandam, & in ejusdem templo umbras nunquam cecidiſſe, ſubjicit iſta: in Parthenio monte Panos delubrum erat, ubi locus omnibus animantibus velut Aſylum, nomine Aula, quem leones & lupi dum feras inſectantur, adire non audent, ſed protinus ſubſiſtunt. Sicut in Dianæ Æ-toliæ luco in Veneris fabulantur, canes, dum feras inſequuntur, ubi ad lucum confugerint, ab inſectatione quieſcere. Idem in montibus, quos Græci Mænalos vocant, Ariſtoteles prodit: ad quos ubi feræ à canibus impetuntur, tanquam in tutiſſimam arcem ſe recipiunt; ipſique ultrà præſcriptum progredi non audent. Hactenus ille. Aſylia verò lucis ex Ethnicorum ſuperſtitionibus venit. Colebant quippe iſti Idola ſua in Sylvis, hinc Sacræ Sylvæ erant & nihil quicquam exinde exſcindi, nullum animal abduci fas erat.

XXVII. Tandem SIGNA CASTRENSIA ἄσυλα fuiſſe conſtat exinde, quod Tacitus Annalium primô prodit, inquiens: Neque aliud Munatio Planco periclitanti ſubſidium, quàm caſtra primæ legionis: illic ſigna & aquilam amplexus relligione ſeſe tutabatur, ac ni aquilifer, Calpurnius, vim extremam arcuiſſet, rarum etiam inter hoſtes, Legatus populi Romani, Romanis in caſtris, ſanguine ſuo altaria maculâſſet. Sed ſatis de diverſitate Aſylorum. Qui pleniora & planiora deſiderat,

ex

ex Auctoribus §. XV. nominatis ſitim, ut diximus, exſtinguere poteſt.

XXXIII. Ante, quàm hinc abeamus, enodanda venit nobilis illa Politicorum inter ipſos Quæſtio: *AN ASYLA IN REPUBLICA BENE CONSTITUTA FERENDA SINT?* Pro quâ in utramque acriter diſceptatur. Pro parte Negativa pugnant Covarruvias, Danæus, Scipio Amurathus, Conzenius & alii, quorum argumenta collegit & collecta propoſuit Velſtenius in Quæſt. Politicis. Nituntur verò tribus maximè, quorum primùm deſumitur à REMOTIONE CAUSÆ. Ita enim dictus Velſtenius: Licebat apud Judæos cognatis occiſi, etiam nondum auditâ cædis causâ, homicidam interficere: & propterea ne is, qui ſponte non peccârat, etiam interficeretur, aſyla fuerunt inſtituta. Atqui ceſſante cauſa, ceſſat effectus. Secundum deducitur à *MANDATO DIVINO.* Sic enim pergit ille: Ipſe DEUS Exod. II. v. 14. mandat, ut ab altari avellatur, qui per inſidias occidit fratrem ſuum. Nec meretur beneficio legis uti, qui contrà auctorem legis commiſit. Tertium ab *ABUSU.* Addit verò: Abuſus quidem non tollit rem per ſe bonam & neceſſariam, tollit tamen indifferentem & minus neceſſariam.

XXIX. His argumentis utitur pars negativa, quæ quidem aliquam veri ſpeciem habent, ſed reverà tantùm ſpeciem, proindeque tanti nobis non ſunt, ut propter ipſa aſylis manum injiciamus. Quin potius in contrariam abimus ſententiam & parti nos applicamus affirmanti, cum videamus aſyla quatuor, iiſque longè firmiſſimis ſuperſtructa eſſe columnis, quarum prima eſt immotum illud DEI MANDATUM, quod non uno in loco, vel unâ tantùm vice proponitur, ſed toties repetitur & inculcatur, videl.

videl. Exod. XXI. v. 13. Numer. XXV. v. 1. Deut. XIX. v. 1. Joſuæ XX. v. 7. quod fundamentum planè invictum manebit, & immobile, quàm diu ipſe Auctor ejusdem perſiſtet. Secunda columna eſt Æquitas naturalis. Sanè nihil magis naturale dici poteſt, quàm ſuam cuique ſecuritatem, & ab omni violentiâ immunitatem aſſerere, quod quin aſyla faciant, quis eſt qui auſit aſſerere? Tertia eſt conſenſus gentium. Juràris naturam omnes, etiam barbariſſimas gentes, docuiſſe Aſylorum neceſsitatem, ita univerſalibus quaſi ſuffragiis ſibi univerſus orbis Aſyla ubique locorum conſtituit. Ebræi, Ægyptii, Græci, Romani, Germani, & quicunque modò juſtitiæ & æquitatis amantiores fuére, aſylis carere noluerunt. Quarta Columna eſt commodum publicum & privatum. Non afferam hîc, quod in arcanis augendi civitatem hoc Principes ſemper habuerint, concedere aſyla; ſed paucis tantùm declarabo, quanta aſylum tàm belli, quàm Pacis tempore commoda in Rempublicam effundere poſſit. Faciam verò illud non mei, ſed incomparabilis Theologi, *B. GERHARDI* verbis, qui in LL. Theol. Loc. de Magiſtr. Polit. §. 231. ſcribit: Tempore pacis aſyla refugium præbent ſervis nimiâ Dominorum ſævitiâ preſſis, reis ab ira judicis vel adverſarii potentiâ ſibi metuentibus, in cauſa adhuc dubia periclitantibus, ære alienô gravatis, illis, qui ex imprudentiâ hominem interfecerunt, &c. Tempore belli, quando civitas ab hoſte expugnatur, nec auxilium adparet ullum, obſeſſi ad templa confugiunt, ut ſerventur. Hactenus ille. Commodum privatum, quod aſyla præſtant, eſt ſecuritas, quam huic vel illi ſupplici, duabus ſuprapoſitis conditionibus gaudenti indulgent, ut ne ipſum oporteat ex carcere, quod minus tutum, reſpondere &c.

XXX. Sta-

XXX. Stabilitâ adeò ſententiâ noſtrâ, videndum nunc eſt, quid rationes in contrarium adductæ in receſſu habeant. Prima ergò, in quâ potiſſimum confidunt partis adverſæ defenſores, formaliter ita proponi poteſt: Cujus cauſa hodiè ceſſat, illud ipſum ceſſat. Aſylorum cauſa hodiè ceſſat. E. Major putatur eſſe manifeſtæ veritatis: Minorem autem probat VELSTENIUS, quia cauſa conſtituendorum Aſylorum fuit jus vindicandi ſanguinem, competens proximis cognatis occiſi, quod utique in Novo Teſtamento abolitum eſt. Verùm enim verò hoc argumentum nihil aliud probat, quàm Aſyla hodiè non præſtare eum uſû, quem olim in Veteri Teſtamento præſtabant, ſecuritatem videlicet à vindice ſanguinis, quod equidem utrâque largimur; ſed exinde inferendum non eſt: Ergò Aſyla planè nullum alium uſum præſtant. Limitanda ergò Major propoſitio: Cujus OMNES cauſæ ceſſant hodiè, illud ipſum ceſſat. Jam negatur Minor: Aſyli enim ſunt aliæ cauſæ, quas allegata B. GERHARDI verba indicant, quæ in N. T. neutiquam ceſſant.

XXXI. Secundum, quod à divino mandato deſumitur argumentum non uſque adeò omnis ambiguitatis expers eſt, ſed dupliciter poteſt formari, vel ſic: Si is, qui per inſidias ſuſtulit fratrem, poteſt ab altari avelli, ſequitur, quod aliquis ab altari avelli poſſit. Sed V. eſt P. E. & P. ita quidem rectè infertur, ſed non contrà nos. Ipſi enim hoc adſerimus, quod, qui ex propoſito peccat, & extrà caſum neceſſariæ defenſionis, ab aſylo extrahi & ſupplicio affici poſſit, ut ex ſuprà dictis, maximè autem ex §. *XIII.* conſtat. Et hoc nomine ſuccenſemus Pontificiis, qui Aſylis ad protegenda quævis ſcelera abutuntur. Vel etiam ita argumentum VELSTENII poteſt informari: Si qui ἐκ

 πεσαμί-

προαιρέσεως peccat, ab altari avelli poteſt, ſequitur, quod omnis peccans ab altari poſſit avelli, & per conſequens Aſyla nihili ſint, &c. Ita concluſio nobis quidem adverſatur; ſed videat Velſtenius, ſi ita velit argumentari, ne pueri in triviis exſibilent conſequentiam.

XXXII. Tertium atque poſtremum argumentum ab abuſu erat. Videbatur ſcilicet ita argumentaturus oppugnator Aſylorum: Cujuscunque rei magnus eſt abuſus, illa è Republicâ benè adornatâ oppidò tollenda eſt. Atqui aſylorum magnus eſt abuſus. Ergò. Verùm Majorem propoſitionem ſubſiſtere non poſſe & præſentiſſimam minari ruinam, nemo non videt: annon enim aquæ & ignis, ſine quibus tamen ipſam hanc vitam ſuſtentare non poſſumus, abuſus eſt magnus? annon vini abuſus maximus? Vidit hoc ipſe Velſtenius: unde de fulcimento anxius eſt, & credit ſe inveniſſe in ſubſequentibus, quibus ait: Quamvis abuſus non tollat rem per ſe bonam & neceſſariam, tollit tamen indifferentem & minus neceſſariam. Sed vana eſt ipſius fiducia. Annon enim aſylia, cui tanta neceſſitudo & affinitas cum ipsâ naturali æquitate intercedit, res per ſe bona & appetibilis eſt? Annon promotio commodi publici, quam ex aſylis redundare, ex modò laudatis B. GERHARDI verbis certi ſumus, eſt Reipublicæ beatæ neceſſaria? Meliora Aſylis Fata, Lectori ſalutē, DEO gratias!

COROLLARIORUM

vice

QUÆRIMUS

I. EX GRAMMATICIS:

AN, ut J. C. D. Vir Eruditiſſimus, in Chreſtomathia Suæ Græcâ pag. 33. ſtatuere non erubeſcit, Græca Lingua Anomalis deſtituatur?

II. EX

II. EX RHETORICIS:

An tria illa dicendi genera: humile, mediocre & ſublime, Oratori propria ſint?

III. LOGICIS:

An hic Syllogiſmus:

Neceſſe eſt, animal ſentire.
Neceſſe eſt hominem eſſe animal. E.
Neceſſe eſt hominem ſentire.

quatuor explicitis conſtet terminis?

IV. PHYSICIS:

An materia ſit expers omnis actûs?

V. METAPHYSICIS:

Annon & Spiritus quandoque materia ſit?

VI. ASTRONOMICIS:

An ſtellarum aliquis definitus ſit numerus?

VII. ETHICIS:

An jucunda ſint violenta?

VIII. POLITICIS:

An modus bellandi ſtrategematicus ſit licitus?

XI. HISTORICIS:

An ex fide Hiſtorica Alvarus Gomezius in Geſtis Ximenii l. 28. referat, diem, quâ JOHANNES FRIDERICUS CONSTANS, Elector Saxoniæ, prælio victus eſt, ſolitô fuiſſe longiorem?

X. CRITICIS:

An ambabus arripiendũ ſit, quod Seldenus verſum Martialis:

Non credo; jura verpe, per ANCHIALUM,

ita reſtituit: Non credo; jura, verpe iper an chi olam?

SIc virtus tibi pandit iter, dum tendis alacris
Aonas ad montes, Nymfas ubi amore periiſti.
Ignis ab igne venit, flagrantia pectora verſas.
Eôdem ardore ſacræ Themidos urgendo labores
Inſta, ſic magni tibi panditur orbita Fati.

Per-Eximio Dn. Reſpond. amicè gratul.

JOH. VOLK. Bechmann/ J.U.D. & P.P. Ordinarius.

PER-EXIMIO ATQUE POLITISSIMO
SUO
GOTTERO,
Sanctarum LL. Cultori maximè Strenuo & non infelici,
Affini plurimùm Honorando,
χαίρειν!

SIT FAUSTUM, QUOD AGIS! SIC MECUM DIVUS APOLLO,
SIC OMNES MUSÆ, SICQUE VOVENT CHARITES,
M. Georgius Goezius.

EIn Tugendthafftes Hertz mag immer gerne Siegen/
Nicht mit dem Pöbel-Volck daheim und unten liegen/
Biß er bekommen hat die Tugend-Ehren-Kron/
Und ſtets genennet wird der Künſten lieber Sohn:
Zwahr/ viel die lieben mehr die Laſter als die Tugend/
Ja viel ergeben ſich in ihrer Blüht der Jugend
Der ſchnöden Uppigkeit. Ach aber beſſer iſt
Dem/welcher Weisheit/Kunſt und Tugend nur erküſt;
Herr Göttern ſolches wohl ietzt öffentlich bezeuget/
Ein tugendhaftes Hertz ſich auch bei JHM ereiget/
In dem ER ſeinen Fleiß ietzt giebet an den Tag/
Wie man aus dieſer Schrift nach Zeugen ſehen mag.
Wohl! **wehrter Muſen-Freund**/ ich wünſch' JHM
Glück und Stärcke
Zu dieſer Ehren-Bahn/ zu ſolchem ſchönem Wercke/
Gott ſtetigs JHM beglück; ER fahr nür alſo fort/
JHM ſteht ſchon offen weit der hohen Ehren Port.

Mit dieſem wenigen wolte ſein dienſtfertig und gegen
ſeinen geehrten Herrn Tiſchgenoſſen ge-
neigtes Gemüht entdecken
Heinrich Gottfried Gundelfinger/
von Nördlingen/ J. V. Stud.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE